



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Vtrum communis ratio accidentis in inhærentia consistat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

Et hinc etiam sic hunc conceptum obiectiuum esse ratione præcisum, quia ut repræsentatur per conceptum formalem non includit actum & expresse aliquid specificum, & genericam rationem accidentis, sed solum præcisam rationem inherendi. Et in hoc solum consistit hæc præcisio secundum rationem. Quod autem hæc præcisio non sit maior, quam rationis, à fortiori patet ex superioribus dictis de ente & de universaliibus prædicatis: nam conceptus accidentis etiam comparatur ad ea ex quibus præscinditur, ut quid commune ad particularia: ergo non potest ab eis plus quam ratione distinguere: quam cum aliquo fundamento in re eodem modo quo cætera prædicata communia, est enim eadem ratio.

Questionis resolutio.

Hæc quæstio non potest exacte definiri donec de Analogia, vel univocatione accidentis ex professo tractemus, quod disputatio 39. sect. 3. præstabitur. Interim distinctione censeo utendum. Potest enim accidens sumi, vel pro entitate accidentali secundum se, & secundum suam tantum realitatem, vel pro quacunque ratione formali accidentis, quæ in prædicamentis collocatur. Quod alius etiam terminis dici solet accidens posse considerari, vel prout aliquid alicui accidere dicitur, nam licet omne, quod in se est accidens, alicui accidat, non tamen è converso, omne, quod alicui accidere dicitur, est verum ac proprium accidens. Quomodo etiam distinguere solet accidens, in accidens prædicabile, & accidens prædicamentale, & accidens physicum, seu dicens veram entitatem aut modum accidentalem. Dico ergo: Accidens prædicamentale, seu quod in novem genera dividitur non posse habere unum conceptum obiectiuum, quia multa complectitur, quæ vera ac propria accidentia non sunt. Accidens autem physicum habere unum conceptum obiectiuum, idque probare rationes posterioris sententiæ. Vtraque vero pars intelligitur, & confirmabitur amplius citato loco, & multo magis ex omnium prædicamentorum tractatione.

SECTIO II.

Utrum communis ratio accidentis in inherencia consistat.

Pars negativa huius quæstionis variis rationibus ostendi potest, si ante omnia supponamus sermonem hic esse de ratione essentiali per se primo constituyente naturam accidentis. Nam licet accidens alicui accidat, & ut sic extra rationem eius, tamen ipsum in se sicut ens est, ita & aliquam essentialiam seu essentialem rationem necessario habet: ergo accidentis ratio non potest esse inherencia ipsa. Probatur consequentia, quia vel est sermo de inherencia actuali, & hoc non, quia hæc non est essentialis multis accidentibus maxime secundum fidem nostram, quæ docet servari interdum accidentia sine inherencia actuali, cum tamen evidens sit non posse conservari rem sine essentiali ratione sua. Vel est sermo de inherencia aptitudinali. Et hoc dici non potest, primo quia sunt quædam accidentia, de quorum ratione est actualis inherencia, ita ut per nullam potentiam sine illa esse possint ut figura ubi: ergo est illis essentialis: ergo communis ratio accidentis non satis explicatur per inherenciam aptitudinalem. Secundo quia à contrario in iis accidentibus, quæ separari possunt à subiecto, ipsa aptitudinalis inherencia est aut relatio quædam, aut genus quoddam potentia, nam sicut dantur potentia activa & passiva, ita & potentia informativa: sed communis ratio accidentis abstrahit à determinatis rationibus accidentium: ergo non potest.

Tom. II Metaphys.

test consistere in relatione vel potentia, quæ sunt determinatæ rationes accidentis, aliàs, vel omne accidens esset respectivum, vel omne accidens esset quædam qualitas. Tercio videntur esse quædam accidentia quæ neutram inherenciam habent, nec actualem, nec aptitudinalem, ut relatio secundum esse ad, & actio ut actio transiens, & maxime modus per se existendi accidentis separari, aut actio creativa, si illa sit accidens, quod sine dubio erit si ad solum accidens terminetur. Atque hinc tandem excluditur facile aliud membrum, si fortasse daretur inherenciam sumi confuse abstrahendo ab actuali & aptitudinali: nam in primis hæc ratio non videtur esse una per abstractionem, sicut in superioribus dicebamus ens ut dividitur in ens potentia & in actu non dicere unam rationem abstractam. Deinde quia neutra illarum rationum convenit aliquibus accidentibus, & in aliis neutra est essentialis, ut obicimus. Tandem obstat aliunde quod illa ratio videtur latius patere, quàm accidens: nam formæ substantiales materiales vere ac proprie inherant materiæ & actui & aptitudini: ergo.

Referuntur opiniones.

In hac re variae sunt sententiæ: Prima est essentialis rationem omnis accidentis consistere in actuali inherencia ad subiectum. Ita videntur sentisse Philosophi Gentiles, qui putarunt, nulla ratione fieri posse ut accidens extra subiectum conservetur. In qua sententia videtur esse Arist. & Comment. ut late tractat Niphus 7. Metaphys. disp. 1. & sumi potest ex eodem Arist. ibicap. 2. & 1. Phys. cap. 4. text. 29. intelligendum est autem eo modo actualem inherenciam dici de essentia accidentis iuxta hanc sententiam, quo supra dicebamus existentiam esse de essentia cuiuslibet entitatis actualis, nam sicut potest res creata privari existentia si destruat, non tamen si in sua entitate maneat ita potest accidens privari inherencia actuali, quatenus potest destrui: manens tamen in sua entitate actuali non potest, iuxta Philosophorum sensum privari actuali inherencia: atque ita putarunt non esse aliud ab ipsamet entitate accidentali. Quod maxime verum esset, si ut ant. qui Philosophi opinati videntur, accidentia non sunt proprie res, sed tantum modi unius primi subiecti.

Hanc vero sententiam, ut dixi, damnat Catholica fides, saltem ut non possit univocaliter vera esse. Quam limitationem adhuc, nam si quis diceret solam quantitatem esse separabilem à substantia, possetque manere sine actuali inherencia, & ideo in sola illa non esse de essentia eius actualiter inherere: esse vero de essentia cæterorum accidentium omnium, qui (inquam) sic contenderet, non erraret in fide, quia ad ea quæ fides docet de mysterio Eucharistiae satis est, quod sola quantitas maneat separata à subiecto, nam cætera accidentia illi inherant. Possentque qui sic opinaretur, nonnullam rationem differentie reddere inter quantitatem & alia accidentia, quod propinquior est, & similior substantiæ. Vnde peculiare illi esse videtur, quod circa se ipsam quodammodo exerceat munus suum: nam quantitas ipsa quanta est, immo hinc etiam fieri videtur ut non habeat essentialem rationem suam in ordine ad substantiam, sed in ordine ad se. Vnde in scientiis mathematicis ita abstracte consideratur, acti per se esset sine vilo ordine ad substantiam.

Nihilominus supposito mysterio fidei, longe probabilius est, posse etiam qualitates realiter à substantia & quantitate distinctas conservari sine inherencia actuali, ut dixi in tertio tomo tertie partis, disp. 67. sect. 3. in fine. Vnde de omnibus accidentibus realiter à substantia, & inter se distinctis pro certo supponimus actualem inherenciam non esse essentialiam eorum, sed modum ex natura rei ab eis distinctum, nimirum

D d 2

mirum

II. Opinio.

III. Reiciitur.

IV.

mirū modum vnionis formæ ad materiam seu subiectum, vt in superioribus declarauimus disput. 15. & 16. de causa formali, & dicta disput. 56. 3. part. sect. 2. An vero possit ratione naturali sufficienter probari contra Philosophos non repugnare vt accidens conferretur separatim à subiecto, attigi in Commentariis 3. part. quæst. 77. art. 1. & sane opinor simpliciter non posse demonstrari ab homine. Maxime cum nec distinctio realis quantitatis à substantia ex sola ratione sufficienter demonstretur, vt infra dicemus, & separatio qualitatum ab omni subiecto, nonnullis etiam Catholicis impossibilis videatur. Possunt igitur vt dicto loco dixi, sufficienter solui argumenta, quæ apparenter ostendere possunt hoc esse impossibile, quibus solutis per se statim fit verisimile posse fieri à Deo, quod non ostenditur repugnare. Ad quod accedere possunt probabiles rationes, quibus ostenditur realis distinctio accidentis à subiecto, & quod non sit inter ea extrinseca & essent. aliis dependentia, cum sint res diuersorum generum.

V. Secunda sententia præcedenti extreme opposita est, inhaerentiam nullo modo esse de essentia accidentis, neque actu, neque aptitudine. Ita tenet Scotus in quartum distinctione secunda, quæstione prima, & 7. Metaphysic. quæstione 1. & ibi Anton. Andreas quæstione 1. vbi etiam Soncin. quæst. 1. hoc secutus est, & Fland. quæstione 2. Idem tenet Zimara Theorem. 3. qui in eam sententiam citat Commem. 4. Metaphysicæ. comment. 2. immerito tamen, vt dicemus. Fundamenta huius sententiæ tacta sunt in initio sectionis.

VI. Tertia opinio est inhaerentiam saltem aptitudinaliter esse de essentia accidentis.

VII. Hæc est frequentius recepta in schola D. Thomæ, vt tractat late Caietan. opuscul. de ent. & essent. ca. 7. quæst. 15. & lauell. 6. Metaphysic. quæst. 1. Agid. ibi q. 2. Iandun. quæst. 9. Heru. quodl. 4. q. 9. Capreo. in 1. dist. 24. quæst. 1. artic. 3. ad 1. contra 5. 6. conclus. Et sumitur ex D. Thom. 3. part. quæst. 77. art. 1. ad secundum & in 4. distinct. 12. quæstione 1. articulo. 1. quæstione 7. ad secundum. Et hæc sententia intellecta de accidentibus propriis entitates habentibus, & prout distinguuntur ab accidentibus, quæ tantum sunt modi, vel quæ tantum extrinsece denominant, est vera.

Deciditur quæstio.

VIII. VT tamen generalius doctrinam tradamus, quoniam hic est sermo de accidenti prædicamentali in tota sua latitudine, in qua non potest habere vnum conceptus obiectiuum, vt dixi in præcedenti sectione: & consequenter nec vnam propriam rationem essentiali: vti etiam hic possumus distinctionibus sæpe inusitatis. Nam inter accidentia prædicamentalia quædam sunt extrinsecus tantum denominantia, alia extrinsecus afficientia, & inter hæc rursum quædam sunt, quæ proprias habent entitates re distinctas à subiectis, alia quæ sunt modi tantum ex natura rei modaliter distincti, iuxta supradicta disput. 7.

IX. Dico ergo primo, propria inhaerentia non est de ratione eorum accidentium, quæ tantum extrinsecus denominant. Probatum inductione, quia vestis non inhaeret vestito, nec locus circumstantis inhaeret locato, neque actio transiens agenti. Neque refert, quod hæc inhereant aliis, tum quia forte id non semper verum est, vt patet in veste, tum etiā quia est quasi materialiter, non secundum propriam rationem talium, quæ sumenda est ex habitudine ad illud, quod denominant. Vnde ratio à priori est, quia non omnia accidentia dicunt respectum essendi in, sed alia essendi ab, alia essendi circa, vel aliquid simile. Quocirca vel in hoc non potest dari vna descriptio com-

munis omnibus accidentibus prædicamentaliibus, vel generalioribus verbis vtendum est, vt sic dicamus, accidens esse formam aliquo modo afficientem vel denominantem subiectum, seu id cuius accidens esse dicitur. Non possumus enim breuiter describere rationem accidentis, quoniam amplissima est, & multa sub se complectitur. Cū ergo dicitur forma, supponitur sermonem esse de accedente in abstracto, idque merito, nam sub hac ratione maxime distinguitur accedens à substantia sub ente, & vt sic magis proprie habet unitatem per se. Rursus cum dicitur forma, intelligendū est siue sit forma proprie informans, siue modificans, aut quauis alia ratione afficiens vt ita comprehendatur tā entitates, quā modi accidentales siue denominantes, vt sunt accidentia solū extrinsece denominantia, quæ proprie & in rigore nō informant eas res quas denominant, & tamen ille modus denominandi sufficit interdum ad constituendum aliquid genus accidentis, vt postea videbimus. Et ideo non sum vsus voce inhaerentia, quia ea vox in rigore significat intrinsecam informationem & coniunctionem: si tamen latius sumatur pro quacūque habitudine formæ siue intrinsece, siue extrinsece denominantis subiectū actu, vel aptitudine, sic dici potest aliquo modo inhaerere esse de ratione accidentis. Dixi autē aliquo modo afficientem, vt distinguā accidens nō solum à substantiali forma, sed etiā ab omni modo substantiali. Nam in primis illa vox diminuit, & indicat accidens nō constituere rem in suo esse simpliciter, in quo distinguitur à substantiali forma, neque pertinere ad complementū entitatis eius, sed esse affectionem superadditam entitati iam completa in suo ordine in quo distinguitur à modo substantiali, iuxta ea quæ superius declarauimus disput. 35. sectio. 1. Vnde maioris claritatis gratia dici posset accidens esse talem formam, quæ afficit vel modificat subiectū extra rationem eius existens. Atque ita explicata definitio sumitur ex Aristotele quarto Metaphysic. in principio, & libro septimo & nono Metaphysicæ in principio, & vbiunque agit de communi ratione accidentis, aut diuisione eius in nouem genera: nam semper dicit rationem accidentis consistere in hoc, quod sit entis ens: & per varios modos respiciendi substantiam, accidentia distinguit. Et eisdem locis idem asserit Comment. & 12. Met. comm. 3. & hoc sensu potest etiam exponi communis descriptio, qua dicitur accidens esse in alio. Sic etiam adæquate diuiditur sub ente ens in, ab ente per se, quamuis etiam possit illa diuisio aliter exponi, vt magis ex sequentibus constabit.

Dico secundo: accidens quod ex se propriam habet entitatem realiter à substantia distinctam, de intrinseca sua essentia habet aptitudinalem inhaerentiam in substantia. Probatum, nam in primis certum est, huiusmodi entitatem per se ipsam esse aptam ad informandam substantiam tali modo vt illi inhaereat, & ab ea sustentetur, non enim posset actu hoc conuenire illi entitati, nisi in illa supponeretur aptitudo seu capacitas ad illum modum: illa vero aptitudo non potest esse aliquid in re distinctum à tali entitate, vt facile patet rationibus quibus supra probauimus capacitatem materiæ non distingui à materia, neque aptitudinem informandi à substantiali forma. Et in hoc omnes conueniunt, quia esset superfluum fingere illam distinctionem absque villo fundamento vel indicio: & quia aliās eodem modo procederetur in infinitum. Rursus illa aptitudo ad afficiendum substantiam per se primo & ex primario fine talis entitatis illi cōuenit, & est idem cum illa: ergo est de essentia eius. Probatum assumptum, quia entitas accidentalis non ad aliud ex natura sua instituta est, nisi vt afficiat substantiam. Et confirmatur, nam ob similem causam diximus supra aptitudines materiæ & formæ ad vnionem mutuam esse illi essentielles. Et similiter dicemus inferius poten-

tas & actus natura sua specificari ex obiectis. Quæ exempla dissolunt fundamenta contraria sententia, ut statim videbimus.

Dico tertio: Accidentis quod tantum est modus entis, essentialiter includit non tantum aptitudinem, sed etiam actuale affectionem seu coniunctionem cum re cuius est modus. Hoc probant rationes superius factæ, & sequitur necessario ex dictis supra de natura modi. Et propter hanc etiam causam dixi dicto tertio tom. 3. part. disp. 46. section. 1. in fine, si quæ sunt accidentia in substantia panis, quæ non distinguuntur ab illa ut res à re, sed ut modus rei, illa non mansisse in Eucharistia post consecrationem. Horum ergo accidentium essentia non consistit in aptitudine afficiendi, sed in hoc quod sint actuales affectiones, & in re ipsæ entitates realiter se habentes, & ideo si in re manent, inseparabiles sunt à suis subiectis, & carere non possunt actuali vnione cum ipsis. Denique in eis non distinguitur in re aptitudo afficiendi, & actu afficere; ergo essentialiter sunt actuales affectiones.

Dico ultimo. Quamvis de ratione accidentis ut sit esse aliquo modo affectionem substantiæ: tamen non est de ratione eius esse immediatam affectionem substantiæ, sed in hoc etiam abstrahit ab immediata vel mediata habitudine ad substantiam. Probatur, quia sunt quædam accidentia, quæ inmediate afficiunt substantiam, ut intellectus, quantitas, &c. de quibus nulla est difficultas: alia vero sunt quæ mediis aliis accidentibus substantiam respiciunt, ut actus immanentes & habitus non afficiunt substantiam nisi mediis potentiis, & qualitates corporeæ media quantitate: de qua re multa diximus supra disputat. 14. section. 4. Nullum vero est accidens possibile saltem secundum naturas rerum, vel quod proprie & complete accidens sit, quod non respiciat ultimam substantiam tanquam primum subiectum ac principalem finem suum, quia licet vni in sit mediantem alio: tamen omnia ad hoc tendunt ut substantiam perficiant, & orrent, vel aliquo alio modo ei deferant.

Soluntur argumenta.

Rationes dubitandi in principio posite fere solute sunt ex dictis, ad primum enim membrum totius partitionis ibi factæ concedimus actuale inhesionem non esse de essentia accidentis ut sic. Ad secundum item membrum concedimus aptitudinalem inhesionem ut distinguitur ab actuali, non esse adequatam rationem accidentis ut sic. Dicimus tamen esse propriam & adequatam rationem illorum accidentium, quæ proprias habent entitates, & verè ac proprie sunt formæ informantes sua subiecta. Cui autem obicitur hanc aptitudinem esse relationem, aut potentiam: respondetur non esse relationem prædicamentalem, sed includere habitudinem transcendentelem, quæ in omnibus fere entibus absolute includitur, & maxime in entitatibus incompletis, & accidentibus, ut latius constabit ex discursu omnium prædicamentorum. Ad aliud autem de potentia respondetur, illam aptitudinem non esse potentiam, quæ est certa species qualitatis: sed est ipsa essentia formæ accidentalis, quæ per se ipsam apta est ad informandam suo modo substantiam.

Ad tertium membrum concedimus inhesionem latissime sumptam prout abstrahit ab actuali vel aptitudinali & ab intrinseca, vel extrinseca affectione esse de essentia accidentis prædicamentalis in communi. Item, si loquamur de accidente Physico, seu intrinsece & realiter afficiente, siue sit modus siue res distincta, sic etiam dicimus, inhesionem propriam sumptam abstrahentem tamen ab actuali, vel aptitudinali, esse de essentia accidentis, siquæ propriissime & adæquate posse diuidi ens in ens per se, & in

Tom. II. Metaphys.

alio, seu in entitatem substantialem, & accidentalem propriam, & secundum se sumptam, sub illis modis etiam tam substantiales, quàm accidentales comprehendendo. Ad argumentum autem respondetur, falsum esse illam rationem non esse abstrahibilem, nam ab actu primo & secundo est abstrahibilis communis ratio actus: sed forma ut informatiua, & ut informans comparantur per modum actus primi & secundi: ergo abstrahi potest communis ratio formæ accidentalis quæ præscindat ab actuali, vel aptitudinali informatione siue inhesionem. Neque est simile exemplum, de abstractione entis ab ente in actu & in potentia, nam ibi sumitur ens in potentia obiectiua, quod non est aliud positum à seipso constituto in actu, neque illa potentia est realis intrinseca, sed vel non repugnantiæ, vel denominatio à potentia extrinseca. Eset autem simile, si ens in potentia & in actu sumerentur pro reali potentia actiua, vel passiua, & actu eius: sic enim vere abstrahitur ratio entis ab eo quod sit potentia vel actus. Et ad hunc modum in præsentia abstrahit accidens ab eo quod sit aptitudine vel actu in formâ, Quamquam dici etiam potest duobus modis accipi posse aptitudinem informandi. Vnus est ut dicit aptitudinem Physicam per modum actus primi ex se cōdistincti & separabilis ab actuali informatione. Et hoc modo procedunt omnia quæ diximus. Aliter vero potest sumi aptitudo afficiendi, prout intelligitur esse in quacunque re, vel modo, etiam si maxime actualiter afficiat, nam quod actu afficit, aptum est afficere, quæ potest dici aptitudo logicæ: quia vero hæc aptitudo in re interdum est per modum potentie separabilis ab actu, interdum vero tantum per modum actus, ideo dicimus accidens ut sic præscindere ab inhesionem aptitudinali, id est potentiali, & ab actuali. Nec refert quod actualis inhesionem sit accidens, aut aliquid extra essentia alicuius forme accidentalis, quia heri potest, & sæpe ita accidit, ut quod est vni essentialiter, alteri sit accidentale, ut per se constat.

Ad instantias vero respondendum est sigillatim. Prima erat de relationibus secundum esse ad: cui respondetur relationem realem, quidquid illa sit, secundum se totam inhesionem, atque ita etiam in ipso esse ad includi esse in: quia relatio secundum se totam est forma eius, quem ad alium refert, vs latius infra suo loco. Secunda instantia erat de actione, de qua dicitur actionem, ut actio est, esse formam extrinsecus denominantem: & ideo ut sic non requirere propriam inhesionem, sed saltem habitudinem quæ ad illum modum denominationis & quasi extrinsecæ informationis sufficiat. Tertia instantia erat de modo per se existendi accidentis separati, de quo sæpe a libi dixi. In primis enim dubium est an sit modus positivus. Deinde si est modus positivus, non est naturalis ordinis, sed supernaturalis, neque est proprium & (ut ita ita dicam) integrum accidens, sed terminus existentie cuiusdam accidentis, scilicet quantitatis, ad cuius genus reducitur: & ad hoc satis est, quod illa aliquo modo afficiat, & quasi illi adhæreat, quando ad modum substantiæ diuinitus constituitur. Et idem fere dicendum est de creatione accidentis separati. De qua re multa etiam diximus supra agentes de creatione. Ultima instantia erat de formis substantialibus. De quibus dicendum est, quod licet vere habeant modum vnionis ad materiam cum dependentia ab illa ut à sustentante, & aptitudinem sibi essentiali ad illam vnionem, in qua est quædam convenientia inter accidentia & formas substantiales, tamen est convenientia tantum analoga, nam aptitudo formæ substantialis est per modum actus eiusdem generis cum suo susceptiuo, & ideo per se vnum cum illo componit, & vnio eorum substantialis est. In accidente vero modus inhesionem vel afficiendi est longe inferioris rationis. Vnde cum inhesionem tribuitur accidenti ut illi propria, sumitur ut specialiter

D d 3

liter

XIV.

lirer dicit hunc imperfectum modum afficiendi substantiam, qui omnino sit extra latitudinem eius: atque ita non competit substantialibus formis.

Corollaria precedentis doctrine.

XV.

EX decisione huius questionis definiuntur aliquid, quod de accidente in communi queri solent. Sequitur enim primo ex dictis, accidens non defini nisi per substantiam, seu per illud cuius est affectio, quod docuit Arist. 7. Met. c. 1. & 4. tex. 12. & cap. 5. tex. 19. Vbi hac ratione ait, substantiam esse priorem accidente. At præterea accidentia non posse habere perfectam definitionem, quia definitio perfecta est, quæ ita explicat essentiam rei, ut nullum additum extra essentiam in ea ponatur: in definitione autem accidentis necessario ponendum est subiectum, quia sine illo non potest explicari inherencia, quam diximus esse de essentia accidentis. Item, essentia accidentis est imperfecta, & ideo tantum imperfecto modo defini potest, cum definitio sit accommodata definito. Confistit autem eius imperfectio in hoc quod solum sit entis ens, seu affectio entis: ergo proprius modus definiendi illud est per habitudinem ad subiectum. Et hoc satis etiam confirmat experientia ipsa & modus declarandi conceptum accidentis.

XVI.

Solum potest contra hoc virgeri difficultas quædam supra tacta de quantitate, & de abstractione Mathematica, qua videtur concipi & defini quantitas sine ullo ordine ad subiectum. Respondetur tamen primo Mathematicum abstrahere à subiecto sensibile, id est, sensibilibus qualitatibus affecto, non tamen abstrahere simpliciter à subiecto, quia considerat quantitatem ut rem materialem & corpoream & consequenter in materia vel substantia existentem, & ideo dicitur abstrahere à materia sensibili, non vero ab intelligibili. Responsio est sumpta ex doctrina D. Thomæ 1. part. quæst. 85. artic. 1. ad 2. & opusc. 70. quæst. 5. artic. 3. & Albert. idem sentit 5. Metaphys. tract. 3. cap. 2. lauel. 7. Metaph. quæst. 1. Anton. Andr. Metaph. quæst. 3. Adde deinde Mathematicum non considerare expresse habitudinem ad subiectum, sed valde implicite, quia non considerat essentiam quantitatis, sed solum proprietates & proportionales figuras, quæ ex quantitatis extensione oriuntur, ad quas impertinens est quod concipiatur quantitas ut forma inherens subiecto, vel ipsum quantum extensum, in quo sunt partes, & superficies, ac lineæ. Et quantitas ipsa in se est quanta & extensa, ideo abstrahi potest & considerari secundum illas affectiones, quæ illi sub ea ratione conveniunt. Et iuxta hanc responsionem materia intelligibilis, à qua non abstrahit Mathematicus, teste Aristotel. 8. Metaph. tex. 15. non est aliud à continuitate ipsa, seu extensione quantitatis, ut etiam Divus Thomas declaravit 1. Poster. tex. 42. & 7. Metaph. text. 35. ibidem Alexand. & alii Græci. Et Thomist. 3. Physic. text. 71. & 1. de Anim. text. 17. Simplic. 3. de anim. text. 25. & favet Aristotel. eisdem locis lib. 11. Metaph. summ. 2. capite 1. & lib. 22. tex. 44.

XVII.

Secundo sequitur ex dictis de ratione accidentis esse, ut habeat aliquod subiectum sibi natura sua proportionatum, cum omnis habitudo habeat aliquem certum terminum in quem tendat: sed hæc inherencia est per modum cuiusdam habitudinis transcendentalis, cuius terminus est subiectum ipsum. Accidens ergo in communi respicit id quod affici potest accidentaliter, absolute etiam & in communi: determinata vero accidentia respiciunt determinata subiecta, & secundum capacitatem sibi proportionatam quia necesse est servari proportionem inter actum & potentiam. Non est autem intelligendum oportere vnicuique accidenti respondere subiectum cui tale accidens sit connaturale aut debitum: hoc enim non spectat ad essentiam accidentis, sed ad peculiarem conditionem

nem subiecti, quæ non est vniuersaliter necessaria ut patet de accidentibus mere contingentibus, & de his quæ violenter insunt, vel quæ mere indifferentia sunt, ut maxime dici solet de artificialibus formis. Et idem dicunt Theologi de supernaturalibus qualitatibus. Solum ergo ex parte accidentis necessarium est quod natura sua determinet sibi subiectum quod adæquate respiciat, quia hoc spectat ad essentiam eius: nam cum essentialiter sit actio quædam, alicuius capacitatem habentis, debet esse affectio.

Ex quo obiter soluitur argumentum quod hic fieri solet de propria passione, quæ de suo subiecto demonstratur per propriam definitionem. ex quo colligit Soncinas demonstrari de passione quod inheret subiecto, & consequenter inherentiam non esse de essentia passionis, quia essentia non demonstratur de aliquo. Sed non recte colligit, nam propria definitio passionis dari debet per subiectum: Aristoteles enim ideo dixit propriam passionem prædicari per se secundo, quia subiectum ponitur in definitione prædicati: ergo talis definitio supponit vel continet inherentiam passionis in tali subiecto: ergo non est medium ad demonstrandam illam. Per talem ergo demonstrationem ad summum ostendi potest alia connexio quæ ex parte subiecti esse potest cum tali passione, siue illa sit per modum efficientiæ seu resultantis naturalis, siue per modum debiti connaturalis quam connexionem iam diximus non pertinere ad essentiam accidentis ut sic. Adde, interdum posse demonstrari de aliquo accidente quod sit accidens, & consequenter quod sit aptum inherere, sed tunc vel non fiet demonstratio per definitionem accidentis, neque à priori, sed per effectus, vel non demonstrabitur absolute, quod sit aptum inherere, sed respectu huius vel illius subiecti, & tunc oportebit tandem resolvere demonstrationem in proprietatem vel definitionem talis subiecti.

Alia quæ de accidente in communi & absolute tractari possunt, in superioribus tractata sunt, ut an habeat existentiam propriam disp. 34. sect. 11. an componatur vnum per se cum subiecto disp. 14. & an in se componatur ex proprio actu & potentia disp. 15. Et ideo nihil aliud hic dicendum occurrit.

DISPUTATIO XXXVIII.

De comparatione accidentis ad substantiam.

Multa ad hanc comparationem pertinentia in superioribus notata sunt, explicando ipsam diffusionem entis creati in substantiam & accidens. Vbi duo præcipue declarare necesse fuit, scilicet, quanta distinctio inter substantiam & accidens intercedat, & quomodo substantia superet omne accidens in perfectione. Præterea cum ageremus de causis, contulimus accidentia ad substantias, vel in ratione formæ & materiæ, vel in ratione efficientis & effectus. Quapropter pauca hoc loco dicenda supersunt, præcipue propter Aristotelem lib. 6. Metaph. in principio, ubi comparat substantiam cum accidente & quoad temporis durationem, & quoad cognitionem quæ duo puncta breuiter sunt à nobis explicanda.

SECTIO I.

An substantia sit prior tempore accidente.

Ratio dubitandi est, quia Aristoteles 7. Metaph. in principio c. 1. ait, substantiam esse priorem accidente, & ratione, & cognitione, & tempore, & natura. In contrarium autem est, quia vel substantia & accidens com-